

13  
Ht  
219

DE  
IVRE CONSVLTORVM  
IN  
REM METALLICAM MERITIS  
COMMENTATIO

---

QVA  
GENEROSISSIMIS AC NOBILISSIMIS  
DOMINIS COMMILITONIBVS  
SVAS PRAELECTIONES  
INTIMAT  
IOH. GOTTLIEB STOER  
PHILOS. ET I. V. D

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.  
MDCCXIV.





DE  
IVRE CONSULTORVM  
IN  
REM METALLICAM MERITIS  
COMMENTATIO

---

AVV  
GENEROSISSIMIS AC NOBILISSIMIS  
DOMINIS COMMITTONIBVS  
SVAS TRAFLECTIONES  
IN  
IOH. GOTTLIEB STORER  
PHLOS ET F. D.

---

L I P S I A E  
ET OFFICINA HANDELMANNI  
H. H. H. H.







Superiori commentatiuncula non ita pridem in publicum conspectum emissa, de meritis Theologorum in metallurgiam plane singularibus, perscripti, quantumque et tota isthaec scientia et omnes, qui suis eam sectantur studiis, huic ordini debent, aliquantisper edocui. Sedet nunc animus pensum tum susceptum continuare et de studiis Iureconsultorum, quibus aut metallurgiae illustrare scientiam, aut ius percensere metallicum a communi nunquam fere non diuersum, datum sibi esse negotii crediderunt, paulo curatius disquirere. Quod antequam facio, non operam mihi aut oleum perditurus videor, vbi eorum qui nescio qua indignatione metallorum studium profecuti, flocci illud non pendendum tantum, sed et extirpandum omnino arbitrantur, argumenta, in limine anterioris discursus inchoata, vberius adducam, et, quantum fieri potest, diluam. Cum enim vix tantos, quantos prioribus seculis nostro tempore fundere soleant fructus fodinae, tum sane non sui ipsarum vitio, sed praepostera potius aut negligenti parumque stabili cultura id potissimum contingere, iam supra obseruavi. Quotus vero quisque est tam ignarus rerum, quem fugiat et Freibergae in Hermunduris, et Annaebergae, et in aliis montanis Saxoniae tractibus huc tum fertilissimas vtique colli fodinas, vti schedulae in singulis praefecturis metallicis singulis anni quadrantibus sub fide publica. emissae, in quibus et proventuum et symbolorum publice indictorum accurata fit computatio,



putatio, satis loquuntur. Quid de aliis aliorum locorum iam dicam metallis operae omnino sat amplum pretium facientibus? Nonne cultura carbonum fossilium VVettini, sumptu primum publico instituta, iam per multos annorum decursus exitit longe quaestuosissima? Nonne Islebio - Mansfeldenses fodinae, quae ex lapide sciffili non tantum permultum cupri fundunt, sed et ex hoc ipso cum plumbo colliquato, et igne separatorio postmodum adusto, tosto, et expurgato, ad 6000 marcas argenti puri et amplius quotannis insigni exercitorum emolumento porrigunt? Nonne Clausthaliae in Hercynia, locisque finitimis, fodinae quamplures, quas tamen inter tantum excellere videntur Dorothea et Carolina, quantum lenta solent inter fiburna cupressi, fere quam narrari, aut credi possit, maiores thesauros propinant<sup>a</sup>? At enim vero cum ista sit rerum humanarum vicissitudo, vt nihil in iis reperiatur, quod omnibus numeris sit absolutum, nec eodem semper et vbique benignioris fortunae fato vti liceat, tum demirandum adeo non videtur, non omnes statim fodinas vna serie euadere fructuosas. Quippe vti non omnis fert omnia tellus, et quandoque

*Triste solum, sterilis sine fruge sine arbore tellus,  
Frigus iners illic habitat pallorque tremorque  
Et ieiuna fames,*<sup>b</sup>

occurrere adfolet; eundem in modum nec omnes venae generosae sunt indolis, vt in aliquibus omnem omnino laborem in-

a) Satis lepida sunt, quae hac de re prodidit IOH. ERNST BRAVNS Amoenit. Subterr. P. II. c. 2. §. 17. p. 55. Quis enim non obstupescit ob immensas fodinae nomine Dorotheae gazas, quae tantum numerum metallicorum lapidum argento ditissimorum fouet, vt nesciant loca, quibus eos contineant, et ligna, quibus fundant, et aedes ad eos conferuandos vix suppetant. Gaudet 132 partibus, quarum vnaquaeque 110 vnciales argenteos sur Musbeuth adfert. Inauditum certe prouentum a prima

metallorum inuentione. Prope ad eam accedit Carolina benedicta, quae quidem metalla aequae copiose profert, non vero in tanta copia vt Dorothea; inde modo 50 vnciales argenteos prouentum affert. O qualis benedicta Carolina! o qualis formosa Dorothea! si omnes Dorotheae, si omnes Carolinae eiusmodi virtutibus essent praeditae, quam libenter sibi sponfas eiusmodi adsciscerem, mihi que ipse adsciscerem.

b) OVIDIUS Metamorph. VIII. 789.



incassum infumant fodientes. Arripiunt isthaec auide, qui metallorum studio non indulgendum esse contendunt, et ob incertum et nunquam non dubium omnis metallorum culturae exitum, eam prorsus intermittendam esse causantur. Imprudenter enim eis actum esse videtur, tanto saepe spem pretio emere, cum non desint vndique exempla fodinarum, quae tanquam avitae possessiones ad posteros transferint, illis iam tum satis sumtuosae, nec his vilo modo fructuosae factae, vt longe satius fuisset, pecuniam in metalla erogatam adseruasse, quam spe futuri lucelli amisisse. Qui si didicerint, in humano non positum esse arbitrio, quae postmodum futura sint prospicere, meminerint insimul illius Poetae c.

*Fata regunt homines, certa stant omnia lege,*

*Longaque per certos signantur tempora cursus;*

et apud metallicos triti dicterii: Bergwerck will haben seine Zeit, und seine Leut, desisterent vtique his ipsis metallurgiae calumniari exercitium recordati illius: *Θεὸς μὴ δίδοντας ἐδὲν ἰσχύει πόνος.* Praeterea hi ipsi minus quandoque prosperi operum metallicorum successus non semper sterilitati venarum, sed inscitiae pleurumque et fraudulentiae ministrorum, et supinae quidaemque satis focordiae exercitorum de suis parum aut nihil sollicitorum, sed omnia fusque deque habentium, tribuendi veniunt, cum, experientia teste, fodina per sat longum quandoque tempus inutiliter culta, post aliquot vero lustra restaurata, fructus tulerit vberrimos, vt vere huc quadrare videatur illud:

*Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque,*

*Quae nunc sunt in honore: d.*

Cum iis vero, qui non tam studio bonum publicum promouendi, et necessitatibus misellorum in locis montanis operariorum subueniendi, sed effreni potius plura semper habendi, ingentesque diuitias metallorum cultura corradendi libidine, qua crescentem sequitur cura pecuniam maiorumque fames, eam adgrediuntur, vtique ex merito actum videtur, si iis acciderit, quod apud Aesopum est in fabula, vt his, quae possidebant, amissis, quae porro concupiscunt, non adipiscantur. Hi sunt,

A 3

qui

c) MANILIUS IV. 13.

d) HORATIVS Art. poet. 70.



qui misellorum homuncionum, quos vulgo proxenetas metallicos, *Rucks-Krängler*, nuncupant, relationi de nescio quantis in diuendenda vena reconditis diuitiis multa deblaterantium, fide habita, nubem pro Iunone aucupantur. Eiusmodi enim fumienduli vili pretio perquam multas partes distrahentes, insignesque prouentus mox ad emptores redituros mirifice depraedicantes, in quos affabre conuenire videtur illud:

*Quid dignum tanto fert hic promissor biatu,*

*Proiicit ampullas, et sesquipedalia verba,*

*Parturiunt montes nascetur, ridiculus mus<sup>e</sup>,*

falsa spe emptorum demulcent animos, qua fascinati et post modum misere circumuenti suae credulitatis poenas merito luunt, vt alia vice cautius mercari discant, falsariis interim istis rei que metallica temeratoribus foedissimis iusto supplicio subiectis, <sup>f</sup> et viris integris vitae scelerisque puris in eorum locum surrogatis. Illud modo dolendum magnopere, per hos ipsos pessimi furfuris homunciones indelebile fere odium in omnis generis metallicis deriuatum esse, vt eos ad vniuersum omnes perfrictae frontis, multae versutiae, nullius fidei, nulliusque pietatis viros nemo non existimet. Videtur haec ipsa parum honorifica de his, qui metalla sequuntur, opinio, a prisco Romanorum more, quo sceleratissimos quosque criminumque publicorum conuictos, in metalla condemnabant, natales repetere, TERTVLLIANO iam non incongrue obseruante <sup>g</sup>. Notum quippe est ex iuris Romani principiis, maximae capitatis deminutionis non infimam speciem fuisse seruitutem poenae, atrocitate sententiae facinorosis inflictam, et ad hanc vel primario pertinuisse damnationem ad metalla, <sup>h</sup> quae et metallorum

e) ID. *ibid.* 97. 138. 139.

f) Vid. *Churf. S. B. D. Art.* 74. *Berg. Refol.* d. A. 1709. §. 20.

g) In libro de cultu foemin: *Terra*, inquit, plane generosior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis poenali opere deplozata, nomen terrae in igni relin-

quit atque exinde de tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiiis in honores metalli refuga damnatur. Adde CHRYSOSTOM. Ep. I ad Timoth. Homil. I.

h) L. 1. ff. d. Abigeis L. 6. ff. ad Leg. Iul. Peculatus L. vit. ff. de Sepulchro violat.



rum poena<sup>l</sup>, et metalli coercitio audit<sup>k</sup>. Plectebantur autem metallo non nisi ex faece vulgi homines, et quidem in delictis enormibus, reliquis, qui honestiori loco nati erant, vel relegatis, vel deportatis, ita vt SVETONIVS<sup>l</sup> non postremum crudelitatis, qua defaueiebat Caligula, documentum in eo posuerit, quod multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla condemnauerit, de quibus tamen prolixioribus nobis iam esse non licet, potioribus quae huc pertinent capitibus ex variarum legum auctoritatibus probe euolvente BRISSONIO<sup>m</sup>. Illud tamen hic indicandum duxi, hanc ipsam ad opus metallicum condemnationem vt iure communi satis fundata est,<sup>n</sup> ita nec Saxonum moribus prorsus esse incognitam. Ita enim in singulari D. AVGVSTI constitutione d. d. 21. Apr. 1572. ° temeratores ferarum ad metalla damnatos videas, quod ipsum tamen poenae genus an vnquam executioni mandatum sit, ex historiarum monumentis haectenus certo colligere non licuit, et Art. CIII. ordinationis metallicae ab eodem pientissimo principe An. 1573. in publicum emissae, de eo fere subdubitandum esse suadet. Nec videtur sane metallorum culturae eiusmodi sceleratorum furciferum, omnem laboris recte instituendi rationem prorsus ignorantium, virosque alios ingenuos non remorantium tantum, sed et ipso sui consortio taedio et leui quasi macula afficientium, operibus, multum iri consultum, hinc et aeternae memoriae Princeps FRIDERICVS AVGVSTVS, cum hanc ipsam legem restauratam vberius declararet, poenam metallorum in alia operum publicorum seruitia sapientissimo consilio commutasse videtur, peculiari mandato, d. d. Cracouiae d. 18. Sept. 1697. P Interim tamen

i) L. 5. ff. de extraordin. cognit.

k) L. 28. ff. de poen.

l) In Caligula c. 87.

m) De verborum, quae ad ius pertinent, significatione, opera IOH. CHRIST. ITTERI Lipsi. 1721. adde TIT. POPMAM de operis feruorum p. 168.

n) Vid. GODOFR. STRAVS de iure principis circa fodinas metallicas Art. III. §. 6. CARPZOV. Prax. Crim. P. 3. Q. 29. n. 7. et HENR. LINCKE de metallis C. 3. §. 9.

o) Cod. August. T. I. p. 175.

p) Cod. August. T. II. p. 594.



men metallicos in praeuaricationibus potissimum metallicis, loco aliarum poenarum, ad imitationem antiquae illius constitutionis, certo quandoque et determinato laboris penso, absque omni mercede, in stollonibus, regia impensa agi solitis, plecti recte posse, non est quod ambigamus. Ita enim rescripsit Serenissimus ad praefecturam metallicam Mariaemontanam d. 22. Apr. 1713. E. G. Wir lassen auf Christoph Kraußens um Erlassung der ihm statt zweyjährigen Landes-Verweisung an 20 Wochen Arbeit aufn Weistaubner Stollen dictirten Straffe, bis auf die Helffte, und Reichung des halben Lohns in der Beylage beschehenes Ansuchen, bey voriger Verordnung es zwar nochmahls verbleiben, sind aber allergnädigst zufrieden, daß er die dictirte 20 Wochen Arbeit dergestalt verrichte, daß er auf 40 Wochen das halbe Lohn bekomme, und die andere Helffte statt der Straffe abverdienen möge, und begehren darauf ihr wollet zc. Digna sane haec materia esset, quae peculiari tractatione sollicitius euolueretur, cum a nemine haecenus, quod sciam, in disquisitionem sit vocata, uti et in vniuerso iure metallico complura adhuc extant capita, quae vberiore expectant euolutionem, ut neuti- quam actum agere videaris, penitiori ea limae subiecturus. At enim vero cum haec ipsa studia, quae tamen non postremam iuris patrii paginam constituunt, apud plerosque iam fordeant, et longe vtilius permultis videatur, inutilibus BARTHOLOI cuiusdam aut BALDI altercationibus tempus infumere, quam iuris Saxonici, cuius tamen et apud externos magna semper fuit reuerentia, enodare placita, tum sane utroque pollice magnopere laudandi veniunt Iureconsulti, qui vel iustis tractatibus, vel pereruditis disputationibus, nunc ius metallicum enucleare, nunc obscuriora scientiae metallurgicae capita illustrare sunt annisi. Neque tamen animus est, omnium indistinctim hic percerere opellas, cum illud et perlongum, et a scopo nostro, merita potissimum Iureconsultorum persequente, alienum foret, hinc sicco pede istos, quibus dictum videtur istud HORATII:

*Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam  
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,  
Quid valeant humeri,*

nostra



nostra potissimum aetate dicturientium et scriptitantium, ne animos lectorum, in materia non utique satis exarsciata, cereos in vitium flecti, studio seduxisse videamur, transeuntes, eorum sectabimur labores, qui perquam insigniter suis studiis de re metallurgica sunt promeriti. Primas hic merito tenet

## SEBASTIANVS SPAN

propter sententias, varios passus iuris metallici concernentes, cum ad acta publica, tum ad quaestiones interrogantium latas, Ao. 1636 Cigeneae sub titulo: *Sechs hundert Berg-Urthel, Schied und Weisungen bey vorgefallenen Bergwercks Differentien unterschiedener Orten so wohl inforatorie als ad Acta gesprochen, neben kurzen Bergmännischen Bericht, bey jedwedem Titul und Materi, in publicum emissas, et postea variis vicibus, variisque locis recusas, tum et propter speculum iuris metallici anno demum 1698 Dresdae impressum. Sparta Syndici apud Schlackenwaldenses in Bohemia primum defunctus noster, postea praefectus praefecturae Hartensteinensis in comitatu Schoenburgensi constitutus fuit. Cum itaque versaretur Schlackenwaldae, vrbe metallifera, et, ob praediuites stanni potissimum mineras, famigeratissima, ita vt et anno 1548 a FERDINANDO imperatore, vna cum oppidis Schoenfelden et Lauterbach, peculiari ordinatione metallica donaretur; tum sane non vulgarem metallurgiae iurisque omnis metallici sibi adquisiuit scientiam, quotidiano rerum vsu et crebra experientia multum subinde confirmatam. Composuit ergo in gratiam eorum, quibus arrident quidem isthaec studia, attamen idoneis subsidiis destitutis minus secundi fieri videbantur progressus, speculum istud, quod diximus iuris metallici, ex FERDINANDI et RVDOLPHI II. cum in vsum fodinarum argentearum in valle Ioachimica, et aliunde eo locorum excultarum, tum omnis istius culturae, qua minerae stanni potissimum rite videntur perscrutandae, transactionibus, reformationibus, priuilegiis et consuetudinibus metallicis, quas omnes cum ordinationibus Saxonica, Palatina, Brandenburgensi, Brunsvicensi sedulo vbique contulit, et quibusnam in partibus conueniant, quibus discrepent, probe enucleauit, et secundum tria potiora obiecta iuris*

B

ad



ad imitationem fere ordinis a IVSTINIANO, inter personas, res et actiones vndique obseruati, composuit. Constituerat apud animum SPANIUS, hoc ipsum omnibus numeris absolutissimum opus, cuius tertiam partem istae 600 sententiae potissimum constituebant, typis mandare, priuilegio impressorio ea circa iam Ao. 1628 ab imperatore munitus, at enim vero motibus tricennalis belli subortis, cum inter arma leges plerumque fileant, sumtibus ad diuulgandum necessariis et ipse destitutus, et apud alios vix ac ne vix quidem suppetentibus, consilium praeter opinionem et contra voluntatem mutare fuit coactus. Suasu tamen complurium, qui istam sententiarum, quibus Scabini metallici et Freibergae, et in valle Ioachimica, et Schoenfeldae de iure responderant, collectionem, ad enodandos facili negotio casus in simili, perquam vtilem futuram existimabant, eam seorsim imprimendam dedit, reliquo opere per fat longum tempus lucis vsura priuato, vsque dum auctoritate regia munitum, Dresdae dicto anno prodiret. Dolendum tamen, quod sententiae istae speculo metallico conuenienti loco non sint insertae, et opus istud egregium, iusta forma, qua quondam ab auctore adornatum erat, pristino nitore fuerit restitutum. Vterque liber iam saepe frustra quaeritur, prolixissimi interrim vsus merito in omnibus iuris metallici passibus habetur, vt fere aquam cribro haurire videatur, qui sine eo solidi aliquid hic addiscere concupiuerit, nec est, vt laudibus eum iam extollere suscipiamus, hedera sane suspensa non indigentem, nec dubitandum, sedula eius lectione, vnumquemque in ea conuictum iri sententia, SPANIVM vtique virum esse, qui inter omnes, quotquot vnquam fuerunt, aut sunt, aut etiam erunt, inter optimos clarissime, inter clarissimos optime, et inter vtrosque doctissime vastum et satis protuberofum iuris metallici campum sit emensus. Huic metallicorum TRIBONIANO suo propemodum iure iungendus videtur

ABRAHAMVS a SCHOENBERG,  
vir et nobilitate generis, et gloria maiorum, et sui ipsius virtutibus exactissimaque rerum metallicarum cognitione vnus omnium, et post fata, florentissimus. Comitum metallorum dignitatem



tatem generosissimae huic genti quasi familiarem et ultra XXIV lustra sine intermissione apud eam remanentem, adiit non modo ex merito, sed et in ea tribus serenissimis Saxoniae heroibus talem se praestitit, qualem cognitum iudicant. Decreta ad omnis generis controuersias circa fodinas, et ad alias metallicorum lites, suo tempore in curia Freibergensi metallica prolata, profundissimam ipsius in omni huius iuris tramite notitiam loquantur, et tantum inter alia multa eminere videntur, quantum inter ignes luna minores, quae ipsa memoriam Schoenbergiani nominis non nisi reuerendissime habendam esse indigant. Prodiit eius *Ausführliche Berg-Information* Lipsiae 1698, vbi ordine alphabetico, quae et praefectorum, et officialium, et exercitorum, et omnis generis metallicorum sint partes et munia, et quo pacto causae in iudicium metallicum potissimum sint deducendae, luculenter, perspicue et perquam erudite exsequitur, iuncto in simul operi peculiari catalogo terminorum artis, cum in fodinarum cultura, tum in officinis et contusoriis et elutoriis, fusoriis itidem et excoctoriis isti hominum generi familiarium, ita vt libellus merito sine pari censeri debeat. Exarauit praeterea vir *μεταδιδότατος*, iussu Principis, nouam ordinationem metallicam, in quatuor partes distinctam: 1) quidem de praefectis et officialibus metallicis, 2) de ipso metalla rite colendi modo, 3) de iudiciis metallicis, arresto potissimum et processu immisso, aliisque actibus iudicialibus, modoque dextre has causas perorandi, 4) de eo, quod iustum est circa officinas excoctorias, et eos omnes, qui suam in iis operam locant, vberime pulcherrimeque exponente, quam ipsam Serenissimus Princeps Elector IOHANNES GEORGIVS III. in comitiis publicis, Ao. 1687 solemniter celebratis, statibus prouincialibus perlustrandam proposuit, et ad communicandum sua, quae ea forte de re suborirentur dubia, notante iam HORNIO,<sup>q</sup> clementissime exhibuit. Dolendum sane, hanc ipsam ordinationem et ordine concinno, et varia rerum vbertate, et plerisque fere, quae modo in disceptationem

B 2

venire

q) Disp. de Metallifodin. iure §. 15. p. 16.



venire possint, passibus feliciter resolutis, mirifice se commendantem, publica auctoritate haecenus nondum munitam esse, interim tamen et in Curia, et in Scabinatu Freibergensi, eam subinde in viridi haberi obseruantia, decretis et sententiis passim latis, facile comprobari posset. Commentatorem quasi Schoenbergiani operis egit

CHRISTOPH HERTWIG,

*I. V. D. Syndicus et Senator Freibergensis*, in pereximio libro, qui sub titulo: *Neues und vollkommenes Bergbuch*, Lipsiae 1710 et 1734 typis exscriptus habetur. Multas enim theses ex SCHOENBERGIO vel integris verbis adducit, mox sub iisdem titulis, mox sub aliis, quos iuxta ordinem, quem sibi propositum habebat, inueniri a quaerentibus posse commodius arbitratur. Non proletaria vtique sunt viri huius in rem metallicam promerita, quae enim SCHOENBERGIUS luculenter tradiderat, hic sententiis in Scabinatu Freibergensium metallico ad acta dictis, mirifice illustrat, quae ipsae sententiae eo maiorem merentur attentionem, quod ante hac publici vsus plane non fuerint, nec facile postmodum aliae futurae sint, cum fere inter secreta domus nostra aetate eiusmodi sententiae a dominis Scabinis habeantur, nec videndi quidem eas copia facile concedatur. Hinc non inficiandum sane, quod obscurari non potest, multum omnino operae auctorem in perscribendo hoc libello infumisse, eumque ita congestisse, vt pene nulla suppetat in rebus metallicis, negotiis itidem in officinis excoctoriis ferrariisque occurrentibus, materia, quam non alicubi pertractatam, et vel ordinationibus quibusdam metallicis, quarum insimul vel conuenientia vel disconuenientia dextre commonstratur, vel opinionibus scriptorum, qui in metallurgia et iure metallico in censum veniunt, probatam videas. Huic non inepte iunxeris

CHRISTIANVM BERWARDVM, *I. C. et Assessor. iudicii metallici* et IOH. CASP. ZEISIG, *Senatorem Freiberg.* Alter enim edidit Interpretem phrascologiae metallurgicae, qui et seorsim, et LAZARI potissimum ERCKERI aulae subterraneae, appendicis loco iunctus comparet, alter vero perscripsit

Neues



*Neues und curioses Bergwerks-Lexicon*, Chemnitii A. 1730 impressum, et anno 1743. ibidem longe auctius recusum. Uterque in eo est, ut voces et loquendi formulas, metallicis in arte solemnes, ordine alphabetico explicet, et hoc ipso pleraque metallurgiae capita insigniter illustret, nec contemnendam sane ambo huc collocarunt operam, illo metalliculturam, prout in Hercynia instituitur, hoc vero eam, quae Freibergae et in aliis Hermandurorum tractibus viget, optime excutiente. Uterque eo magis commendandus, quo diligentiori nititur probatissimorum scriptorum auctoritate, et quo exactior i utriusque huius generis rerum ex multifaria experientia imbutum esse contigit notitia. Posterior, qua fuit modestia, tecto nomine MINEROPHILI, libellum emisit, cum tamen omnia fere metallurgiae capita, officinarum insimul fusoriarum, vstoriarum, separatoriarum, earum itidem, ubi cadmia metallica in colorem istum intense coeruleum, quem *Smaltam* vulgo dicunt, praeparatur, operas, modum pariter excoquendi, non solum modo fontanum, sed aliorum etiam salium mineralium, nitri quippe, vitrioli, aluminisque conficiendi rationem perquam egregie tradat, sine indignatione solertissimi auctoris nomen eius hic a me indicatum esse confido, ut sciant metallica rei aestumatores, cui potissimum perelegantem istum tractatum in acceptis ferre debeant. In tyrociniis enim rite ponendis, hic ipse libellus instar omnium esse poterit, candidatis vero scientiae, ad breui manu ruminandum praecepta artis, peregregii usus erit. Eodem fere collineavit GOTTFRIED IVNGHANS, *Lur. vir. studiosus*, BEYERO in *Christlichen Bergmann* p. 585 teste, pereleganti tractatu sub titulo: *Ausgetlaubte Graublein Erz* A. 1680 in publicum emisso.

PHILIPPVS HELFRICVS KREBS,

Landgrafio primum Hassiae, postmodum Principi Electori Brunswico-Luneburgensi a consiliis, tandemque Camerae imperialis adfessor, exaravit tractatum politico-iuridicum *de ligno et lapide*, Augustae Vindelicorum A. 1700 emissum, cuius Pars I. praecipua iuris forestalis capita, Pars autem II. fodinarum metallicarum, lapidum itidem, metallorum et mineralium potiores



passus eruditissime enucleavit, multa etiam de gemmarum, rerumque omnis generis subterraneorum, et generatione, et indole, et modis perscrutandi disputavit, et nihil pene, quod ad ista studia vel elucidanda vel ornanda quoquo modo quicquam facere poterat, intactum reliquit, ita ut hic ipse tractatus non vltimi hic census haberi debeat.

GOTTLIEB FRIDERICVS MYLIVS,

Scabinorum Lipsiensium quondam scriba primarius, pro amore, quo in isthaec studia ferebatur, prorsus incredibili, quem ipsum insignis mineralium collectio, quam sibi seposuerat, et cuius catalogus Lipsiae 1716 prodiit, affatim testatum reddit, perscripsit *Memorabilium Saxoniae subterraneae partes duas*, priori 1709, posteriori vero A. 1718 Lipsiae statim subiecta. Vtrisque lapidum variorum et figuratorum praeprimis historiam probe euoluit, eorundemque cum in Islebiensibus, Ilmenauensibus, Manebacensibus fodinis potissimum reperiundorum, curiosa satis exemplaria sistit, imagines itidem arbusculorum, fruticum et virgultorum lapidibus innatorum aeri utcumque incisas exhibet, et in eo est potissimum, ut istiusmodi generis figuras omnes ab eluione ista vniuersali origines repetere euincat. Nec tamen intermisit metallorum eorum locorum reperiundorum indolem et naturam scrutari, in his tamen accidit viro ingenuo, quod est in prouerbio, *plus valere testem oculatum unum, quam auritos decem*, aliorum enim relationibus fidem habens plus vice simplici lapsus est. Ita minus recte secum inuicem conueniunt, quando P. I. Rel. I. p. 4. centenarium cupri ad 9. 10. 11. lotones argenti in se continere tradit, et p. 6. duos centenarios cupri 16 ad 20 marcas argenti suppeditare perscribit, similiter nec strata terrarum et lapidum mineralium, generosae lapidis scissilis venae incumbentium, satis accurate perscenset, et Relat. VII. p. 53. de fodinis in Iohann Georgenstadt grauiter hallucinatur, quando MATHESIVM de vberissimis earum prouentibus tradidisse commemorat, cum satis in aprico sit positum, MATHESIVM pene integro seculo ante nouae istius urbis constructionem, venarumque ibi institutam culturam, satis concessisse. Plura sane istiusmodi circa metallurgiam habet, quae



quae parum sibi constant, quae tamen prolixius iam non moror, et MYLIVM in doctrina de petrefactis, lithophytis et quas vocant dendritis, non proletariae quidem, de metallis vero non satis fundatae fuisse scientiae vero mihi videtur simile.

IO. FRID. FVRSEN, I. V. L.

et causarum patronus, in *stellionatu circa Anhaltinas metallifodinas famosissimo*, Hamburgi A. 1703 publici iuris facto, multa de ortu et progressu istarum fodinarum, de variis metallorum ibi reperiendorum speciebus, de modo ea fundendi, de stollonibus ibi actis, puteisque erectis, deque insigni nonnullorum exercitorum erga reliquos socios fraudulentia, omnem tandem culturam ibidem pessumdante perscripsit, documentisque genuinis illustravit, vt libelli, perraro tamen occurrentis, lectio metallurgiae studioso admodum futura sit proficua.

IOH. ERNESTVS BRAVNS,

*Chev. Zellerf. in amoenitatibus subterraneis*, Goslariae A. 1726 in lucem emissis, de metallifodinarum Hartzicarum cum inferiorum tum superiorum prima origine, progressu atque praestantia, multa lectu non iniucunda, scitu non inutilia, in medium protulit, et quomodo suo tempore omnis istorum locorum metalli cultura se habuerit, ingenue retulit, vt post THOMAE SCHRIBERI *Kurzen historischen Bericht vom Ankunfft und Anfang der Bergwercke an und auf dem Saag*, Rudolstadtii primum 1678 et postea saepius recusum, historiam istarum fodinarum satis commode videatur exsecutus. Eundem fere scopum sibi praefixum habuit

IVLIVS BERNHARD a ROHR,

in pereleganti tractatu, qui sub titulo: *Merckwürdigkeiten des Vor- oder Unterharges*, Lips. 1736 est impressus, quem A. 1739 exceptit alius sub rubro: *Merckwürdigkeiten des Oberharges*, vtrisque de metallorum cultura, machinis omnis generis metallicis, cum hydraulicis tum contusoriis, modoque construendi varios furnos fusorios, non inconcinne pertractavit.

Nunc



Nunc ad istos. Istos rerum me vocat series, qui peculiaribus disputationibus in ius metallicum sunt commentati, vbi sane oppido mireris, tam altum hic vndique et Pythagoreo quondam longe sanctius custoditum apud veteres hac de re silentium, neque enim mihi, quantumuis diligentissime inquirenti, ante medium seculi XVII. vel vnus innotuit, qui huius generis iura sit persecutus, ita vt veterum Istorum schola merito in ruborem data videatur insigni

### M. IOHANNIS DEVCERI,

verbi diuini apud Groeblicenses, post inter Schlackenwaldenses praeconis, opera, *metallicorum corpus quoddam iuris, ex veterum scriptis aequae ac non scriptis legibus* A. 1563 in publicum protrudentis. \* Eo maioribus igitur encomiis maectandi videntur sequiorum temporum Isti, qui nuntio missõ priori opinioni, quasi horum iurium euolutio inter genera scripturae leuia et non satis digna doctorum virorum personis computari debeat, pristinoque illo et fere fatali veterano excussõ, haec ipsa paulõ consideratius rimari sunt adgressi. Coriphaeum quasi se praebuit

### IOH. SIEGFRIED HAPPEL

in dissertatione, quam vocant inaugurali, *de fodinis ac earum iure, vom Bergwerck und Recht* Ao. 1658 Marburgi Cattorum publice proposita. Omnem hic tractationem in quinque dispescit membra, quorum I. generalia metallorum ac iuris fodinarum, et quae potissimum quoad homonymiam et synonymiam notanda sint, II. principia metallorum ac iuris metallarii, III. ius fodinarum ipsum, IV. contraria et V. adfinia fodinis ac iuri fodinarum, more antiquitus recepto affabre satis euoluit. Videas hic multo argumentorum adparatu ex omni iure Iustinianeo, vel expresse ea de re disponente, vel vtili legum applicatione, huc accommodato, de metallorum iure concertatum, et mireris prolixissimam viri docti in eo vndiquaque notitiam, et satis commodam vbique interpretationem, proprios  
tamen

\* ) Habetur hic ipse tractatus in Corpore iuris et systemate rerum metallicar. Francof. 1698.



tamen et adaequatos iuris metallarii fontes ipsi adhuc non satis adaperitos, vel primo saltim intuitu animaduertas. Rarissime obuium, amplissimi tamen vsus est opusculum, cum quod sensum notionum metallicarum studiose pandat, tum quod inde, quae ea circa in Latio quondam viguerit obseruantia, satis nerveose proponat. Continuauit noster postmodum telam, peculiari discursu, *de iure, quod est circa venas metallorum latentes, vom Schürffen und Einschlagen*, Smalcaldiae 1669 euulgato et collegii metallici supremi, quod Castellis est, consiliariis inscripto, solidiores viri cordatissimi in iure metallico ex genuinis fontibus factos progressus, affatim probante. Posterior scriptiuncula priori adhuc rarior existit, vt et TITIVS, vir harum rerum non vulgariter doctus, sibi vitio versum iri non crederit, ingenue profiteri, se istam oculis vsurpandi occasionem non habuisse.

## GOTTFRIED STRAVS,

Antecessor quondam Ictorum ordinis, et Decretalium P. P. in alma VVittenbergenfi, in disputatione *de iure principis circa fodinas metallicas*, comite Curdt von Eüßow, Equite Megapolitano, A. 1668 publice ventilata, tribusque distinctis articulis, quorum 1 quidditatem, 2 diuersa circa fodinas metallicas iura, 3 modum inquirendi scrutatur, constante, potiora iuris metallici capita ex legibus Romanis variorumque iuris ciuilibus doctorum placitis non incongrue illustrauit, variasque quaestiones circa modum inuestigandi venas, eam etiam, quae quid iuris sit circa virgulam vacillantem, exponit, attigit, ita vt eius lectio nec taediosa, nec omnino superuacanea sit futura.

## HENRICVS LINCKE, I. V. D.

focio Iacobo Doerckes, dissertationem, occasione Tituli Cod. *de Metallar. et Metall.* pererudite conscriptam, in publica eruditorum concertatione, Ienae A. 1671 defendit, omnemque tractationem in tria resoluit capita, 1) generalia metallorum ac fodinarum, 2) iura ciuilia circa metalla eorumque fodinas, 3) iura hodierna circa metallifodinas exhibente. Opusculum per  
fat

s) Disp. de iure metallor. in Praefat.

C



fat longum tempus frustra a me quaesitum, at tandem a peramica manu mihi exhibitum, laude sua nequitiam defraudandum, attamen hinc inde cum grano salis accipiendum, et non nisi a profectioribus in isto scientiarum genere legendum.

IOHANNES EISENHART,

Erxlebenensis e veteri Marchia, I. V. D. eiusdemque in alma Iulia extraordin. postmodum ordinarius iuris criminalis, Pandectarum et Codicis Professor, vir in omni iure vndique versatissimus, de regali metallifodinarum iure, et partibus metallicis, libro singulari Helmst. 1681 impresso, perscripsit, et primus merito censetur, qui ius metallorum regale, in omni suo ambitu spectatum, ex adaequatis principiis, constitutionibus nempe diuersorum ea de re principum peculiaribus, neruose et perquam erudite discussit. Non latebat virum insignem, fodinarum in Germania exercitium longe ante ista tempora viguisse, quam Ius Iustinianicum, profunda ante obliuione sepultum, foris Germaniae redderetur, vti C. II. §. 32, praeeunte CONRINGIO<sup>1</sup>, fat concinne obseruat, hinc euolutionem iuris metallorum regalis non tam ex Romanarum legum placitis, sed ex fontibus magis propriis, arcessendam esse existimauit. Sex autem capitibus omnem tractationem absoluit, primo de singularibus rei metallicaec vocabulis et loquendi formulis, 2) de metallifodinarum variis diuisionibus et dominio, 3) de dimensione earundemque distinctis partibus, 4) de modo acquirendi fodinas et earum partes, et de iure inde quaesito, 5) de modis partium vel conseruandarum vel amittendarum, 6) de actionibus, quae occasione partium metallicarum in iudicium deduci consueuerint, foroque harum causarum priuilegiato, dilucide, distincte et satis accurate pertractat, vt vniuersis, qui supra vulgus in isthoc iuris genere sapere annituntur, tractatus huius diligentiori perlectione non opus tantum, sed vel maxime necesse esse iudicemus.

SAMVEL STRYCK,

Com. Palat. Caes. Consil. Elect. Brandenburg. in Academia Francofurtensi ad Viadrum Ordinis ICTorum Antecessor, et Decretal.

1) de origine iuris German. Comment.



tal. P. P. postmodum VVittenbergam euocatus et Principi Elect. Saxon. a prouocationum consiliis constitutus, tandem in illustrem, quae Halae Saxonum est, concessit academiam, facultatis iuridicae antecessor, totiusque academiae factus director, Potentissimoque Borussorum regi simul a sanctioribus consiliis constitutus. Ad sacrarum literarum studia animum prius appulerat nosster, quibus tamen fere absolutis, consilium mutauit, ad ICTorum pertransiens castra, incomparabilem plane omnis omnino iuris acquisiuit noticiam, exasctatissimique iudicii laudem sibi promeruit. In Viadrina adhuc degens academia, *de iure principis subterraneo*, Christophoro Ernesto Baurmeister, summos in iure honores ambiente, respondentis munere defuncto, A. 1685 disputauit, et dissertationis Cap. 1. de iure principis subterraneo in genere considerato, 2 de iure principis circa auri et argenti fodinas, 3 de iure principis circa salinas, 4 de iure principis circa lapidicinas et reliquas subterraneas vtilitates, dilucide et satis accommodate perscripsit.

GEORGIUS MICHAEL HEBER,

I. V. D. et Antecessor, curiae prouincialis Scabinatus, et facultatis iuridicae assessor, respondente Christophoro Cahleis, antequam priuilegiis iuris vtriusque doctoris initiaretur, publicae censurae VVittenbergae A. 1691 subiecit disputationem, *de defraudationibus metallicorum circa rem metallicam*, qua ipsa, vbi de metalliculturae singulari vtilitate in republica praefatus erat, in parte generaliori C. 1. de modo instituendi fodinas, deque earum incremento et decremento, Cap. 2. de praecipuis requisitis quorundam officialium et operariorum metallicorum, eorundemque officiiis, parte vero speciali de variis defraudationum speciebus earumque poenis iure metallico expressis C. 1. et denique de affinibus defraudationum metallicarum, elegantissime edisseruit, argumenta probandi ex genuinis fontibus, ordinationibus quippe et peculiaribus rescriptis metallicis, sententiis itidem scabinatum metallicorum, magna industria et probo rerum ordine depromens, vt vel hoc vnico scripto suae memoriae monumentum aere perennius, regalique situ pyramidum altius, sibi constituisse merito censendus sit.

C 2

BERN-



## BERNHARD LVDOV. MOLLENBECIVS, I. V. D.

a partibus stante Christ. Valent. Happel, *de regali protimiseos metallica iure*, Gießæ Cattorum A. 1691 disceptavit, et in eo potissimum operam locavit, vt legibus Cod. *de metallar. et metallis* lucem aliquam adfunderet, modumque, quo apud Romanos protimisis metallica instituta fuerit, quadantenus euolueret. Dissertatio equidem rariuscule occurrit, qua tamen in ipsis rerum argumentis tuto indigere potueris.

## NICOLAUS CHRISTOPH LYNCKER,

ICtus consummatissimus, in Ienensium primum academia iuris P. P. ordin. ordinisque ICTorum et Scabinatus assessor, postmodum vero ob exquisitissimas animi dotes equestri dignitate decoratus, et S. caesar. maiestati in senatu imperii aulico a consiliis constitutus, vir, vti in omni iure nullibi non, et pene ad stuporem versatissimus, ita nec in iure metallico hospes, *de iuribus minerarum, von denen Rechten der Mineralien*, A. 1695 publicam Ienae disceptationem habuit, ob raritatem et elegantiam iam 1737 Halae Magdeb. recusam. Omne hic circa quaecunque mineralia ius, scriptum aequè ac non scriptum, fideliter illustrat, et perquam concinne declarat, exterorum etiam ea de re consuetudines probe euolutas tradit, obseruationibus vndique curiosissimis subiunctis, iisque ad trutinam Romanarum potissimum legum ponderatis, et ex obseruantis moderis sedulo discussis.

## GOTTLIEB GERHARD TITIVS,

Nordhusanus, per longum tempus Lipsiae ius inter priuatos parietes, nec tamen sine applausu, docens, delituit, vsque dum A. 1709 facultatis iuridicae assessor, annoque mox insequente Pandectarum, et postmodum Codicis P. P. potentissimoque Sarmatarum Regi et Principi Electori Saxoniae a prouocationum consiliis, curiaeque supremae assessor constitueretur, quibus tamen muneribus per adeo longum tempus non praefuit, anno 1714 scepra tenens academiae, satis concedens tempore academico



mico sibi fere herede adscito. Hic ipse in arenam disputatoriam publice deduxit d. 17. Ian. 1695 Gotthardum Biedermanum, *de iure metallorum, vom Bergwerks-Recht*, edifferentem, pensumque susceptum multimodo eruditionis apparatu, plurimis doctorum calculis, legum sententiis, et ordinationum metallicorum dispositionibus, absolutissime probatum dedit.

### CASPAR HENRICVS HORN,

Freibergae Hermundurorum natus, ibidem prima literarum rudimenta posuit, Lipsiae philosophiae et iurisprudentiae praecepta hausit, et Francofurti ad Viadrum continuauit, susceptoque ad externos itinere, Germaniam, Batauiam, Galliam, Helvetiam Italiamque peragrans, exquisitissime perpoliuit. Redux factus in patria senatoria dignitate probe defunctus, fit praetor, post VVittenbergam concessit, sensimque ad maiora munera adspirauit, nec sparta tantum ius publice ibi docendi, sed et facultate, collegiis, quibus ibidem de iure datum est respondere, affidendi, condecoratur, ordinisque Ictorum fit coriphaeus, et serenissimo a prouocationum constituitur consiliis, vir de his omnibus muneribus vndequaue meritissimus. Palmam hic omnibus, quotquot de iure metallico commentati sunt, aliam enim eius, quae prostant, ingenii documenta perquam insigniam non est attingendi locus, nisi praeripuisse, valde tamen videtur fecisse dubiam. Prostat eius *de metallifodinarum iure disquisitio breuis*, inter exercitationes feudales, annis 1693 et sequenti, in cathedram publice deductas, comprehensa, et a. 1703 seorsim edita. Indagat hic vir solertissimus, cuius exactissima de omni metallurgia et toto iure metallico scientia facile euincit, verum utique esse, quod dicitur in prouerbio: *A teneris adsuescere multum est*, in originem domini et imperii in res subterraneas, Romani et Germanici iuris, ea de re discrepantiis dextre extricatis, primordia et Goslariensium et Freibergensium fodinarum rimatur, textibus iuris Saxonici et Sueuici commode explicatis, Regale ius metallorum scite definit, et quale sit totum hoc negotium, feudale an emphyteuticum, affabre determinat. ¶ Opusculum oppido commendandum cum ob di-



stinatissimam de metallis et eorum iure commemorationem, tum ob solertissimam ex adaequatis principiis probandi rationem. Nec minori diligentia conscripta est *de hypotheca legali in fodinis et partibus metallicis* Disputatio, A. 1699, respondente Georg Carl Loffio, habita, ubi curiosa haec et satis ardua quaestio eleganter pertractatur, quidue inuoluat, et quibusnam potissimum isthaec in fodinis legalis hypotheca competat, ex ordinationibus metallicis scabinorumque sententiis dilucide adstruitur, argumentis secus sentientium feliciter discussis. Insecuta est A. 1706 alia, *de libro metallico antigrapho*, commentatio, vom **Gegenbuch**, quae huius, vt et aliorum librorum metallicorum publicorum, concinnam sistit descriptionem, et antigrammatei, des **Gegenschreibers**, munia, ad quae solemniter adstringitur iuramento, strictim persequitur, et, quam accurata perscriptione et sedula adseruatione huius libri opus sit, commonstrat, cum omnis, de dominio partium vero, inde semper peti soleat probatio, ubi simul modi abdicandi se partium legitime dominio commemorantur, et cautelae antigrammateo hic vndique obseruandae, nisi ex quasi delicto ad id, quod interest laeso, conueniri velit, communicantur, et illa insuper quaestio, quo pacto partium dominio coram antigrammateo valide quis renunciare, et alius postea eis infeudari possit, cum tamen ad immobilium rerum censum pertineant partes, quae non nisi coram magistratu iuris dicundi potestate instructo, abdicari, aut in alium transferri possint, perquam concinne discutitur, sententiis ea de re Scabinorum et Freibergensium, et Ioachimicorum, Schoenfeldensium, Zellerfeldensium, Clausthalienensium, decretisque supremae curiae metallicae ea de re prolatis, in appendice fideliter exhibitis. Exarauit praeterea nonnulla responsa, de variis iuris metallici quaestionibus quandoque rogatus, vnus, quod solidissime prorsus elaboratum et a facultate iuridica VVittenbergensi aequae ac Halensi omnino confirmatum est, ipse mentionem faciens <sup>t</sup>, quod integrum nobis seruaui FVRSEN <sup>u</sup>.

GEOR-

t) de Metallif. iure disquis. §. 26.

u) in stellionatu supra commemorato in den Beylagen N. CXVI. p. 398 seq.



**GEORGIUS ENGELBRECHT,**

**I. V. Doctorandus,** eiusdemque in illustri Iulia P. P. de *Iudiciis metallicis, von Berg- Aemtern, Berg- Gerichten*, A. 1705 publice controuertit, quae ipsa disputatio secunda vice prelo subiecta est Ien. 1740. Agitur in eius Cap. 1) de fundamento, origine et constitutione iudiciorum metallicorum, 2) de personis in iudiciis metallicis considerandis, iudice nempe, actore et reo, vbi potissimum, an et quatenus exercitores forum praefecturae metallicae agnoscere debeant, de personis itidem accessoriis, aduocatis, procuratoribus et defensoribus, disquiritur, 3) de rebus et causis ad iudicium metallicum pertinentibus singularique eorum priuilegio, 4) de modo et indole processus in iudiciis metallicis pertractatur. Optime autem, si quod res est, dicendum sit, noster suis est defunctus partibus, et multifariam eius potiorum ordinationum metallicarum, auctorumque in hoc genere probatissimorum lectionem, arguit opusculum, dignitate se sua vndique maximopere commendans. Scripsit et aliam noster, *de iure salinarum*, dissertationem, quam hic indicasse sufficiat, vberiori eius percensione suo loco suscipienda.

**IOH. NICOLAUS HERTIVS,**

Academiae Gieffensis quondam Cancellarius, et Landgrafio Hasfiaco- Darmstadiño a consiliis, Ioh. Hermannum Staudacherum, antequam priuilegiis vtriusque iuris doctoris inauguraretur, in vmbonem deduxit, eumque *de regali mineralium medicorum ac infimorum iure, vom Recht der Salpeter- und Steinkohlen- Gruben, so denn Marmor- Brüchen und dergleichen* disceptantem A. 1705 tutatus est, quae ipsa dissertatio Ienae ex officina Crockeriana A. 1738 denuo prodit, et Cap. 1. nominis et rei evolutionem et distributionem explicat, 2. realem iuris huius regalis descriptionem et diuisionem exhibet, C. 3. causam efficientem et finem eius adumbrat, C. 4. obiectum et formam sistit, C. 5. effectum eius exponit, C. 6. denique ea, quae cum regali hoc pugnant vel affinitatem habent, percenset. Opusculum prorsus insigne, et eo maioris putandum pretii, quo



quo rariores de hisce mediis et infinis mineralibus prostant commentarii, omnium interim hic capitum commodam satis resolutionem, et vberimam ad auctores praestantiores adinuenias remissionem.

DAVID GOTTLOB DIEZ,

I. V. D. et causarum patronus inter nostrates felicissimus, in Disputatione, quam, antequam supremos vtriusque iuris honores susciperet, Erfordiae A. 1727 publice exhibuit, *de iure senioratus metallici, vom Aeltern und Jüngern im Selde*, non proletarie de iure metallico promeruit. Satis vexatus hic ipse, de quo controuertit vir doctissimus, casus existit, ex quo tanquam ex equo Troiano innumerae inter metallicos controuersiae prodire consueuerunt, eo maiori attentione considerandus, quo magis venae quandoque sub dio per satis ampla spatia ab inuicem distinctae videntur, quae tamen, ubi profundius terram penetrauerint, se facile committunt, vel minimum oblique aut per aduersum sese interfecant. Tractationem quatuor distinctis capitulis absoluit, 1) vt eo clarior de dicendis idea pateat, de metallifodinarum distinctione, diuisione, partitione, metallicarum itidem variis operationibus perscribit, 2) ius senioratus et praecipuos, quibus consistit, passus exponit, 3) quibus rationibus senioratus sit probandus enucleat, 4) finem et effectum senioratus, mediaque decidendi casus, ea de re dubios, euoluit. Concinnio sane omnia ordine proponuntur, et quaestio satis intricata dilucide resoluitur, argumentis undiquaque ex adaequatis sedibus depromptis, vt his ipsis scientiis celeberrimum auctorem non enutritum tantum, sed et vberissima legum auctorumque metallicorum euolutione instructum, rerumque vsu assatim perpolitum esse, penitus elucescat. Nec minori diligentia exarata est commentatiuncula eiusdem *de probatione desertionis fodinarum, vom Freymachen, und Freyfahen*, qua lectiones hybernas A. 1727 indixit, cui A. 1729 aliam *de prouentibus partium metallicarum, von der Ausbeute*, subiunxit, singulis non postremo in bibliotheca metallica scrinio reponendis.

IOH.



**IOH. HENRICVS GVNTHER**, *Schneebergens.*  
 sub praesidio Tobiae Iacob Reinharth, pro adipiscendis sum-  
 mis in iure honoribus, publico examini submisit dissertationem,  
*de iure aquarum metallicarum singulari, von Berg, Wassern,*  
 ubi, postquam vocabulorum sensum elucidauit, de petitione  
 et concessione fodinarum, *vom Muthen und Verleihen*, de-  
 que eorum effectibus et communioribus in vtroque actu for-  
 mulis pertractat, hinc, quaenam aquae potissimum ad forum me-  
 tallicum pertineant, quae non, edisserit, et an praescriptio in  
 eiusmodi aquis locum habeat, an vero priuatus in causa neces-  
 sitatis et vtilitatis fodinarum publicae, cedere debeat, inquirit,  
 quid de fluminibus iuris sit euoluit, de machinis hydraulicis  
 officinarum fusoriarum, et mineralium praeparandorum variis  
 generibus, edocet, et qua ratione eiusmodi aquae ad vsus do-  
 mesticos concedi possint, quibusve modis ius in aquis con-  
 stitutum iterum amittatur, perbelle demonstrat. Opusculum  
 multa eruditione, multoque iuris metallici, ex variis fontibus  
 hausti, adparatu, insigniter instructum, vt auctori laudi, ita le-  
 gentibus singulari cedit emolumento.

**IOH. CHRISTOPH. DINZENHOFFER**,  
 Reuerendissimi principis ac Praepositi Berchdesgadenfis Con-  
 siliarius aulicus et cancellariae director etc. pro licentia, supre-  
 mos in vtroque iure honores impetrandi, breuem analysin Leg.  
 I. et III. Cod. *de Metallar. et Metall.* proposuit, Altorff 1730.  
 Succinctis thesibus verum legum harum sensum indagat, iusque  
 ea de re, Romanis quondam vsitatum, proponit, nouum et ve-  
 teris correctorium, non inconcinne subiungens, strictimque  
 commemorans.

**IOH. CASPAR BARTHEL**,  
 S. S. Theol. et Iur. Vir. D. et in academia Herbipolitana Ca-  
 nonum P. P. in Disputatione historico-iuridica: *de iure fodiendi*  
*metalla*, quam sub eius praesidio Ioh. Hermann Franciscus Petrus  
 Papius, priusquam priuilegia vtriusque iuris doctoris adipisce-  
 retur, A. 1731 ibidem publice ventilauit, perquam egregie sua-  
 rum sategit partium. Postquam enim Cap. 1. ius ius Roma-  
 norum circa metallifodinas examinauerat, in 2do eius desue-  
 tudinem

D



tudinem in foris Germaniae exhibet, et cuinam hoc ius circa tempora Caroli M. Ottonum, et sequentium imperatorum, competierit, rimatur, in 3io quomodo mutata postmodum publicae rei forma, primum principibus Electoribus solis istud attributum, postmodum et aliis imperii statibus commune factum sit, dispicit, 4to denique quid de ciuitatibus municipalibus, nobilibus tum immediatis tum Landsasius, de monasteriis itidem hac in re sentiendum sit, determinat, et de canone metallico nonnulla satis eleganter subiicit. Disputatio hedera prorsus non indigens, perrara tamen, et mihi multoties frustra quaesita, tandem tamen humanitate *Clarissimi nostri IENICHENII* perbenevole mecum communicata, lectu perquam iucunda, vtilitate autem longe prolixissima.

FRIDERICVS VLRICVS PESTEL,

*I. V. D.* eiusdemque Professor primarius, Moral. vero ordin. in exercitatione academica: *de communionem perpetua metallifodinarum inter constatus imperii durante, quantumuis venae omnes in alterius recesserint territorium*, Rintelii 1737 publice ventilata; multa habet a iure metallico non aliena, illudque perquam conuenienter illustrantia, cum tamen casum sibi tantum fingat, qui, an crebro extiturus sit, dubito, adeo magni in foro non erit usus.

ABRAHAMVS KAESTNERVS,

*I. V. D.* et *P. P.* extraordin. A. 1742 sub initium semestris hyberni suas in vniuersum ius praelectiones indicauit eleganti programmate, *de usufructu partium metallicarum*. Scriptiuncula non mole, sed rerum pondere aestimanda, affabre, vbi strictim prius de iure metallorum apud *Quirites*, postmodum in Germania ad regalia relato, omnique fodinarum indole exposuerat, de usufructu partium metallicarum, Saxonum moribus ad bonorum immobilium censum referendarum, recte determinando, edisserit, quaestione interim illa, an renascantur metalla aliquantum excussa, multifariam celeberrimi auctoris in omni iure scientiam abunde loquitur.

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS MEIS,

pro summis in vtroque iure honoribus rite consequendis publico examini submisit Disputationem, *de iure fodinarum*,  
Gießfäc



Gießae A. 1741. vbi complures quaestiones huc facientes ex ciuiliū legum placitis, doctorumque opinionibus, videas resolutas, genuinas tamen materialium sedes non vndique dextre quaestitas, facile simul animaduertas.

PHILIPPVS SPERL

peculiari tractatu Vlmae 1743 typis percripto, ad titulum Codicis, *de Fabricensibus*, ex principiis iuris Romani et Germanici peregre commentatus est. Opusculum omnem, quae est circa fabricas istas metallicas, rationem, dextre et satis commode euoluit, et eo maioris habendum videtur pretii, quo rarius eius pertractatio eruditorum exercuit ingenia, cum praeter IOHANNEM IACOBVM GOTTSCHALDT, qui A. 1711 hic Lipsiae, *de laminis et praesertim laminis stanno inductis*, disputauit, qui in isto potissimum dicendi genere defudauerit, fere sciam neminem.

Sed pluribus haec persequi, limitum, quibus circumscribimur vetat angustia, constabit interim ex his, quae diximus, quam insignia sint Iureconsultorum in rem metallicam merita, constabit insimul ex diligentiori iuris prudentum, quos commemorauimus, perustratione, multa plane singularia, et a reliquo prorsus diuersa hoc ipsum ius continere principia. Cum itaque in id incumbendum potissimum videatur Icto, vt legum in patria promulgatarum notitiam sibi adquirat exactissimam, tum ne utique vicio mihi versum iri arbitror, vbi in iuris metallici vberius commentari aggrediar scientiam. Aperiam ergo, quantum per alias peregre mihi saepiuscule suscipiendas occupationes, licebit, denuo

*Collegium iuris metallici*, in ordinationem metallicam, a celeberrimo Abrahamo a Schoenberg, quam superius adduxi, publico iussu conscriptam, et satis accurate dispositam, in quo ita me geram, vt genuinum sensum eiusdem vndique fideliter eruam, eundemque cum vltima illa, quae a diuac memoriae principe CHRISTIANO I. publica auctoritate communita prodiit, sedulo conferam, quibusque in passibus cum aliarum regionum ordinationibus metallicis nostra vel omnino, vel minus recte conueniat, common-  
frem



strem, quantumque postmodum, recentioribus rescriptis immutata, ab usu recesserit, patefaciam.

Quoniam tamen omnis nostrae iurisprudentiae cardo in eo praecepte vertitur, ut legum a superioribus latarum commodam ad facta subditorum instituamus applicationem, tum apprimè necessarium videtur nosse, quid sit metallurgia, quibusque absoluantur operationibus, hinc ante omnia praemittam


*Collegium metallurgicum*, cuius Parte I. omnium subterraneorum indolem scrutabor, P. II. modum venas rite colendi, omnemque, qua dextre in operationibus metallurgicis sit procedendum, rationem edisseram, P. III. docimasiae pyrotechnicae tradam praecepta, et singula luculentis experimentis dabo euicta, est mihi namque domi sufficiens ad ista suscipienda, cum omnis generis mineralium, tum machinarum metallurgicarum, apparatus.

Equidem nec iis deero, qui et in aliis iurisprudentiae partibus me fortassis duce, me auspice, uti desiderent, at cum ista pertractaturus, in tanto hic eruditissimorum, iurisque omnis me longe consultiorum hominum, confluxu, Iliada post Homerum mihi scribere videar, et metiri se quemque suo modulo ac pede verum sit, tum posteriores sane commentationes non vehementer ambio, intra meos me vndique continens cancellos, praeprimis cum fodinarum, quarum mihi demandata est cura, meam non raro desideret praesentiam, sed et multum domi temporis ideo nunquam non sit infumendum. Et veluti miles vulnera, pastor oves enumerat, sic et ego, metallicorum iam studiis adsueta, iis omnium lubentissime inhaereo. Iucunda ista fati sunt, miraque sui varietate mire delectant, et in ipsis rerum argumentis, in nostra potissimum patria, amplissimum habent usum. Si quibus itaque ex Vobis, Generosissimi ac Nobilissimi Domini Commilitones, hae meae Musae sint ad palatum, excitare, auditores, dicentis studium, quod nunquam non Vobis spondeo prolixissimum. Valet. Dab. ex Museo V. Id. Iun. clō Iocē XXXV.

\* \* \*

X 2380390





II t  
219

DE  
**IVRECONSULTORVM**  
IN  
**REM METALLICAM MERITIS**  
COMMENTATIO

---

QVA  
GENEROSISSIMIS AC NOBILISSIMIS  
DOMINIS COMMILITONIBVS  
SVAS PRAELECTIONES  
INTIMAT  
**IOH. GOTTLIEB STOER**  
PHILOS. ET L. V. D

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.  
MDCCXIV.

